

bus sessilibus glabris vel scabriusculis, floribus corymboso-umbellatis, pedunculis pubescentibus, anthodii foliolis multiseriatis demum squarrosis.

H. umbellatum. Linn. Willd. Spec. pl. III. p. 1591. — Spreng. Syst. veg. III. p. 646. No. 99. — Patrin Florul. barnaul. Mss. — Besser En. pl. Volh. p. 31. No. 1011.

Hieracium foliis lanceolato-linearibus, obsolete denticulatis, sparsis. Gmel. Fl. sib. II. p. 25. No. 23.

Hab. in pratis sylvaticis et campestribus siccis passim v. gr. ad fl. Tscharysch, prope Sogra (L. B.); in sylvis circa Barnaul (Patrin). Fl. Jul., August. 24.

Variat etiam apud nos caule pauci- et multifloro, foliis angustioribus et latioribus, subintegerrimis vel dentatis, glabris vel scabriusculis.

405. SONCHUS. LINN. (L.)

LINN. gen. pl. ed. SCHREB. II. p. 527. No. 1233. — GAERTN. II. p. 359. t. CLVIII. f. 2. (excl. S. picroide.) — LAM. ill. t. 649. — SCHKUHR t. CCXVII.

Anthodium polyphyllum, imbricatum, basi ventricosum. Receptaculum nudum. Pappus sessilis, capillaris, tenuissimus.

* *Floribus caeruleis.*

1. SONCHUS AZUREUS. m.

S. apice glanduloso-pilosus caeterum glaber, foliis subtus glaucis denticulatis; intermediis subrhombostatis acuminatis; inferioribus petiolatis sublyratis: lacinia terminali maxima cordato-reniformi vel subhastata, floribus racemoso-paniculatis.

S. azureus. Ledeb. Ic. pl. Fl. ross. alt. illustr. t. 496.

Hab. in lariceto ad fl. Mön et Tschuja (B.). Fl. Jul. 24.

Caulis erectus, strictus, 1 — 1½-, raro 2-pedalis, inferne glaberrimus, superne piloso glandulosus. Folia ra-

dicalia et *caulina inferiora* petiolata: petiolo alato, nunc lyrato-pinnatipartita: *lacinia terminali* maxima, cordato-reniformi aut hastata, apice et lobis baseos rotundatis aut plus minus acuminatis, argute vel obsolete denticulata aut subintegerrima; *laciniis lateralibus* a terminali distantibus, plerumque duabus, rarius quatuor, triangularibus, acutis vel acuminatis, subdentatis, aut nullis: petioli ala integerrima vel obsolete denticulata; *caulinorum intermediorum* forma sensim in rhombeo-hastatam mutatur, basi longe producta in petiolum quasi elongatum per totam longitudinem alatum attenuata, quo alius in caule posita sunt: eo minora et praesertim angustiora et longius acuminata evadunt; *suprema* subfloralia minutissima sunt, basi tamen dilatata amplexicaulia; omnia tenera, subtus glauca et exceptis supremis glaberrima. Inflorescentia piloso-glandulosa, racemoso-paniculata, erecta, stricta. Pedunculi laterales ex axilla folii minuti, 2—3-flori, rarius, abortiente superiori inflorescentiae parte, magis elongati, quo fit, ut inflorescentia in corymbosam mutetur. Pedicelli plerumque squama una alterave instructi sunt, anthodio saepe breviori. Anthodium imbricatum: *foliis* piloso-glandulosis; *exterioribus* abbreviatis; *intimis* aut ex toto glabris, aut ad costam tantum pilis glandulosis raris adpersis. Corollulae caeruleae.

Species ab omnibus distinctissima. *S. alpinus* (caeruleus *Smith*) folia habet runcinata, basi sagittata; inflorescentiam ob flores numerosos multo densiorem et staturam multo majorem*). — *S. cacaliaefolius* *M. a Bieb.* dignoscitur floribus corymbosis, foliis inferioribus petiolo insidentibus basi dilatata amplexicauli; superioribus sessilibus cordato-sagittatis, statura robustiori aliisque notis. — *S. prenanthoides* *M. a Bieb.* recedit panicula decom-

*) *S. lapponicus*. *Smith ic. pl. ined. p. 21. t. 21.* (si re vera a *S. alpino* differt) praeter alias notas foliorum forma, quorum lacinia terminalis vix reliquis major dicitur, a nostro diversissimus.

posita multiflora, foliis ovato-oblongis argute et dense dentatis crassioribus subtus non glaucis et extus anthodiis glabris. — *S. cyaneus* Doni (*Fl. nepal.* p. 164.) huic videtur proximus, diversus autem foliis inferioribus ovatis acutis indivisis, quae in nostro aut sublyrata: lacinia terminali cordato-reniformi, aut indivisa profunde cordato-reniformia observantur.

2. *SONCHUS TATARICUS.* Linn.

S. caule erecto foliisque glabris; inferioribus oblongis subbruncinatis; caulinis basi attenuatis, floribus paniculatis, pedunculis squamatis anthodiisque glabris.

S. tataricus. Linn. *Willd. Spec. pl.* III. p. 1522. — *Spreng. Syst. veg.* III. p. 648. No. 15. — *Patrin Florul. barnaul. Mss.* — *M. a Bieb. Fl. taur. cauc.* II. p. 241. No. 1582. — *Besser En. pl. Volh.* p. 75. No. 1584.

Lactuca Salicis folio serrato, flore caeruleo. *Amman. ruth.* p. 150. No. 212.

Hab. in argilloso-salsis ad fl. Irtysch (*M.*); prope Barnaul rariss. (*Patrin*). Fl. Jul. 24.

Gmelinus in *Fl. sib.* II. p. 11. No. 11. t. III. f. C. C. sub var. laciniata hanc speciem indigitare videtur.

3. *SONCHUS SIBIRICUS.* Linn. *)

S. caule erecto foliisque glabris; caulinis subcor-

*) Ab hoc differt;

SONCHUS HISPIDUS, m.

S. pedunculis subsquamatis calycibus cauleque hispidis, flor. paniculato-corymbosis, foliis superioribus ovatis lanceolatisve amplexicaulibus.

Sonchus foliis lanceolatis, sessibus, denticulatis, caulibus hispidis. *Gmel. Fl. sib.* II. p. 12. n. 12. t. IV. f. 1,

Hab. in mont. Vverchoturiae (*Gmel.*). 24.

S. cacaliaefolio *M. a Bieb.*, monente jam cel. auctore, affinis, diversus autem pedunculis subsquamatis calycibusque hispidis: — Specimen mancum coram habeo, inferiore caulis parte deficiente.